



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

Laymann, Paul

Dilingae, 1698

Titvlvs XLV. De Reliquiis Et Veneratione Sanctorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

De Custodia Evcharistiæ, Chrismatis, & alior. Sacr. 525

ante susceptum Baptismum (Fluminis) bona quidem fide suscepti, iterum ordinari debeat, concludit Pontifex juxta *cap. 1. h. r.* ex Concilio apud Compendium celebrato, ad omnes Ordines iterum ordinandum; tum quòd hoc tutius sit, juxta eam propè

omnium sententiam, qui Baptismum Sacramentorum januam asserunt, præsertim Characteristicorum; tum quòd non censetur ita ratum, quod nescitur, aut ambigitur esse factum, ut Pontifex ait.

TITVLVS XLIV.

DE CUSTODIA EVCHARISTIÆ, CHRISMATIS, ET ALIORUM SACRAMENTORUM.

Dubios Capitulis totus hic titulus absolvitur, in quorum primo, quod de sumptum est ex Concilio Generali Lateranensi, statuit Innocentius III. sub fidei custodia, clavibus adhibitis, in curatis Ecclesijs (Parochialibus scilicet) Chrisma, & SS. Evcharistiam aservanda (idem judicium est de oleo simplici pro extrema Unctione benedicto) sub pœna suspensionis ab officio per tres menses, illius, cui custodia talis incumbit, si ea incautè reliquerit; ac etiam sub pœna graviore, si ob ejus incuriam gravius aliquid (furtum v. g. talium rerum, aut alia irreverentia gravis) contigerit.

In secundo Capitulo graviter invehitur hic ipse in Concilio Generali Innocentius Pontifex, in eos Clericos, qui usque adeò decorem suæ Ecclesiæ, & vasorum ac paramentorum ad usum Ecclesiasticum destinatum negligunt, ut horrore potius esse possint intuentibus, quàm ædificationi; præcipiens, ut omnia munda, & nitida conserventur; nimis enim videtur absurdum, ut ait hic Pontifex, in sacris sordes negligere, quæ dedecere etiam in profanis; & firmiter etiam prohibet, ne suppellectilia (domus suæ aut alterius) profana, extra casum urgentis necessitatis, hostilis scilicet incurtus, incendij &c. ad Ecclesias admittant, ex quibus domus Laicæ potius, quàm domus DEI appareant.

TITVLVS XLV.

DE RELIQUIIS ET VENERATIONE SANCTORUM.

VT tollantur multi abusus, ex superstitione vulgi nonnunquam devotione provenientes, statuit Alexander III. Pontifex in *cap. 1. hoc tit.* non licere ullum pro Sancto

venerari (aut cultum ei publicum, ut Sancto deferre) absque auctoritate Romanæ Ecclesiæ (per solemnem Canonizationem in numerum Sanctorum eum referentis) ut multa scilicet scandala evitentur. Ad quæ vitanda in secundo etiam *Cap. hujus Tit.* statuit,

Uuu 3

statuit,

statuit, ut Reliquiæ venales, non exponantur; ut antiquæ extra capsam suam non ostendantur, aut extrahantur; & ne illi, qui devotionis causa accedunt, varijs figmentis, & falsis denuntiationibus decipiantur; & ut de novo inventæ (non quidem illorum, qui inter Sanctos jam relati sunt, sed eorum, qui à sancta Sede nondum canonizati sunt) publico cultui non proponantur, nisi prius autoritate Summi Pontificis fuerint approbatæ.

SUMMARIUM.

1. Quid sit Canonizatio?
2. Imagines insolita, aut Reliquiæ venerationi exponendæ non sunt, nisi approbante Episcopo.

Notandum primò. Canonizationem non aliud esse, quàm certum quendam ritum, quo Summus Pontifex declarat ac definit, post præmissam diligentem inquisitionem super vitæ morumque probitate canonizandi, & miraculorum ab eo pa-

tratorum veritate, ac causa passionis (si in SS. Martyrum numerum referendus quis sit) SS. numero adscriptum talem, & ut sanctum ab omnibus honorari, & coli possit, tacitè saltem approbando, si ex antiquo ut sanctus honoratus fuit.

Notandum secundò. Trident. Sess. 25. in decreto de invoc. & venerat. SS. præcipere, ut non liceat alicui insolitam imaginem in Ecclesia ponere, nisi ab Episcopo approbata sit: nec novæ Reliquiæ sint recendæ, nisi recognoscen- & approbante Episcopo. Quod decretum ita intelligi debet, non quidem quasi possent Episcopi hominum non Canonizatorum Reliquias aut Imagines publicè colendas exponere aut reddijs alijsve sanctitatis insignijs expositas,mittere, sed quòd antiquorum Sanctorum jam Canonizatorum, aut qui ab immemoriali tempore pro Sanctis semper habiti fuerant, de novo repertas Reliquias recognoscere debeant prius Episcopi, & approbare, antequam publico cultui exponantur.

TITULUS XLVI.

DE OBSERVATIONE JEJUNIORUM.

Quibus diebus Jejunia, & quomodo observanda sint, in hoc tit. statuit Pontifex, de quibus plura in Theob. Moral. L. 4. Tra. 8.

TITULUS XLVII.

DE PURIFICATIONE POST PARTUM.



X hoc tit. tantum habetur, quòd fæminis in nova lege nullum certum tempus præscriptum sit, quo ab ingressu templi post partum absti-

nere debeant, sicut olim in antiqua lege præscriptum fuit fæminis Hebræis. Servanda tamen est locorum consuetudo.

* * *

TITU-